

Nf. 24.

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
**D. MICHAEL
ALBERTI,**

SER. ET POT. BORVSS. REGIS CONSILIAR. AVLICVS
ET CONSIST. DVCAT. MAGD. MEDICINAE ET PHI-
LOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSOR PVBL.
ORDINARIVS, FAC. PHIL. h. t. DECANVS,

CETERA:

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO
ET PROFESSORIBVS

RELIQVIS,

CIVIBVS ACADEMICIS

PIAM FESTI PENTECOSTES
CELEBRATIONEM

ET IN EA LOCORVM, QVAE CHARACTEREM
SPIRITVS S. HYPOSTATICVM,

EIVSQVE OFFICIVM INDICANT, SANCTAM
MEDITATIONEM COMMENDAT. *cb.*

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS GRVNERTI, Academ. Typogr.



PROFESSOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
D. MICHAEL
ALBERTI

SR. ET P. BORVSS. REGIS CONSILIAR. A. IUDICIS
ET CONSIL. DUCAT. MAGD. MEDICINAE ET PH.
LOCOHAB. IN VARIIS PROF. BOR. PUB.
ORDINARIUS FAC. PHIL. A. HELDENB.

ANNO CVM
DIRECTOR
ET PROFESSOR
RELIGIOS.



CIVIBUS ACADEMICIS
BIAM FESTI PENTECOSTES
CELEBRATIONEM
ET IN EA LOGORVM, OVAE CHARACTEREM
EXPLICANS ET HYPOTYPIKVM
HIVSVE OFFICIVM INDICANT, SANCTAM
MEDITATIONEM COMMENDAT

HALLAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOHANNIS GRVNERII, Aedific. Typogr.





Vemadmodum *mysterium sacro-
sanctæ Trinitatis*, e quo de per-
sona *Spiritus Sancti* constat, in
scriptis utriusque codicis sacris
quam frequentissime est pro-
positum: sic in aliis locis quam
plurimis singulatim de *Spiritu
Sancto* agi, attentis *Scripturæ sacræ* lectoribus est
notissimum. Egregie vero salutaris hujus dogma-
tis cognitio augetur ac confirmatur, si ea conjun-
ctim consideremus. Quo sancto negotio, cum pia
applicatione conjuncto, cum nihil esse possit præ-
stantius, & præsentis ac festi hujus temporis articulo
dignius, ecce **VOBIS! CIVES CARISSIMI,**
materiam, qua meditatio vestra privata occupetur!

);(2

Quæ

Quæ ut eo facilius vobis succedat, præibimus, sed in magna locorum copia ea tantum selecturi, in quibus vox *Spiritus*, de tertia divinitatis hypostasi intelligenda, construitur cum alio nomine secundi casus. Videbimus vero ea partim insinuare nobis *characterem* tertiæ divinitatis personæ *hypostaticum*, partim ad ejusdem *officium*, quod in partæ salutis applicatione est, pertinere.

Prioris generis sunt loca, in quibus tertia divinitatis hypostasis vocatur *Spiritus Dei* Gen. I, 2. XLI, 38 Exod. XXXI, 3. Num. XXIV, 2. I Sam. X, 10. XVI, 23. XIX, 20. 23. I Chron. XV, 1. XXIV, 20. Job. XXXIII, 4. Ezech. XI, 24. Math. III, 16. XII, 18. Rom. VIII, 9. 14. XV, 19. I Cor. II, 11. 14. III, 16. VI, 11. VII, 40. XII, 3. Eph. IV, 30. I Pet. IV, 6. 14. Jam cum *Dei* nomine hic intelligatur *Pater & Filius*, respectu ad *processionem* Spiritus Sancti ab utroque habito, locutione, qua Spiritus Sanctus. *Spiritus Dei* dicitur, haud obscure indicatur, eum esse tertiam divinitatis hypostasin, quæ cum Patre & Filio sit unus ille verus Deus Deut. VI, 4. Eadem est ratio locorum, in quibus hypostasis illa tertia *Spiritus Jehovæ*, seu *Domini* vocatur, ut: Jud. III, 10. VI, 34. I Sam. X, 6. XVI, 14. 2 Sam. XXIII, 2. I Reg. XVIII, 12. XXII, 24. 2 Reg. II, 16. 2 Chron. XVIII, 23. XX, 14. Jes. XI, 2. XL, 7. 13. XLVIII, 16. Ezech. XI, 5. XXXVII, 1. Mich. II, 7. III, 8. Luc. IV, 18. Act. V, 9. VIII, 39. 2 Cor. III, 17. Quis enim nescit, nomen *Jehovæ*, *Domini*, esse nomen Dei essentiali, singulis personis commune? *Spiritus vero sanctus* quando a *Jehovæ*, sic secundum essentialiam considerato, distinguitur, indicatur tum illa ipsa essentiali

essentia unitas, quam cum duabus reliquis hypo-
stasibus communem habeat, tum peculiaris substi-
tendi character, quo per æternam, & ineffabilem
processionem sit peculiaris divinitatis hypostasis, uti
a Patre & Filio procedens, sic etiam utriusque Spi-
ritus, ab utroque, œconomia operum sacrosanctæ
Trinitatis sic exigente, in tempore Θεογενεως missionis.
Joh. XIV, 26. XV, 26. In nonnullis vero locis alle-
gatis sub nomine Dei & Jehovæ ad alterutram, Pa-
tris, aut Filii, personam præcipue respici, liquet
e contextu curatius considerato. Quid? quod ter-
tia hæc hypostasis etiam alibi expresse vocetur Spi-
ritus Patris, ut: Matth. X, 10. ubi salvator noster
discipulos suos de Θεογενεως instructurus: *Ne solliciti*,
inquit, *estote, quomodo, aut quid sitis locuturi: dabi-
tur enim vobis in illa hora, quid loquendum sit. Non*
enim vos estis (soli) qui loquimini, sed SPIRITVS
PATRIS vestri est, qui loquitur in vobis. Item
Spiritus Filii. Gal. IV, 6. *Quia filii estis, Deus misit*
τὸ πνεῦμα τῆς υἱῆς αὐτοῦ, Spiritum Filii sui, clamantem,
abba, Pater! & Spiritus Christi Rom. VIII, 9. *Qui*
Christi Spiritum non habet, non est ipse. Qui ipse
Spiritus ibidem v. 11. *περιθεωσιν ἡμῶς* vocatur Spiritus
Patris: *Si vero Spiritus ejus, qui IESUM e mortuis*
excitavit, in vobis habitat: cetera. Et ab hoc ipso
Christi Spiritu Prophetas fuisse afflatos rectosque,
Petrus perhibet: *Prophetae, inquiens i. ep. 1. c. 1. v. 11.*
scrutati sunt, in quod & quale tempus respiciebat
τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, Spiritus Christi, qui in ipsis
erat: &c. Et huc pertinere locum de Spiritu
oris Christi 2 Thess. II, 8, uti ex illis Psalm. XXXIII,
6. & Jes. XI, 4. desumptum; sic ex eo Jo. XX, 24. de
afflatu

afflatu ipsius oris, a Christo ad Apostolos, liberiori
donorum Spiritus S. mensura beandos, directo, il-
lustrandum, res ipsa indicat.

Sed hæc hæc hactenus de locis, in quibus Spi-
ritus Sancti mentio fit locutionibus ad *characterem*
ejus *hypostaticum* pertinentibus. Nunc ad illa, in
quibus ad *officium* ejus, quod in parte salutis appli-
catione consistit, atque ita in glorificatione ipsius
Christi versatur, Joh. XVI, 10. præcipue respicitur,
accedamus; sed ex illis ea tantum paucis considera-
turi, in quibus voci *Spiritus*, tanquam causæ, no-
men secundi casus, effectus salutaris notionem ha-
bens, jungitur. Cum vero in salutis applicandæ
negotio *fide* nihil sit prius, nihil posterius, & nihil
præstantius ac magis necessarium; primas hic me-
rito tenet locus 2 Cor. IV, 13. e. Psalm. CXLVI, 10. de-
sumtus, ubi tertia divinitatis hypostasis vocatur *Spiri-
ritus fidei*, quando Paulus: *Quia vero, inquit, eun-
dem fidei Spiritum habemus, sicut scriptum est: cre-
didi, ideo locutus sum, etiam nos credimus, ideo & lo-
quimur.* Ubi, inter fidem & dignam professionem
quam egregius sit nexus, in operatione Spiritus
Sancti positus, quis non observat? Et cum *fides*,
applicata Christi justitia, ex eadem Spiritus Sancti
operatione efficacissima, statim obtineat summum
prodes, in quo aliorum spiritualium bonorum com-
plexus est, beneficium; Spiritus Sanctus dicitur *Spiri-
ritus illius adoptionis*; utpote hanc in animo creden-
tis obsignans. Rom. VIII, 15. Adoptionis vero jus
se exferit ardentissimo & tenerrimo *precandi* habitu
Quem quia Spiritus Sanctus, erectum intra ani-
mam regnum Dei magis magisque instauraturus,
singul

singulari afflatu dirigit, vocatur *Spiritus precum*, Zach. XII, 10. & ejusmodi quidem precum, quæ pro norione Hebrææ vocis *רוחני*, præcipue in gratiæ per Christum parti applicatione, ad renovationis negotium admodum necessaria, versantur, & gratiæ, tanquam centro, principio, unico elemento, & pabulo ac alimento, uti suavissimo, sic saluberrimo, cum sancta delectatione inhaerent. Ad quam istius vocis sensum indicandum eidem vox *רוח* gratiæ ibidem præmittitur. Conf. Hebr. X, 29.

Hac ratione homo accensa fide e morte spirituali in vitam, & e tenebris in lucem admirandam, a Spiritu Sancto productus & verè illuminatus fit *lux in Domino*: ideoque Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus cognitionis* Jes. XI, 2. *Spiritus sapientiæ* Deut. XXXIV, 9. Jes. XI, 2. Eph. I, 17: conferatur de typo locus Exod. XXVIII, 3. item *Spiritus veritatis*, credentes in omnem ducens veritatem, agnitæ veritatis obsignatione addita Jo. XIV, 7. 17. XV, 26. XVI, 13. Et cum veritatis cognitio, si genuina est, sancta ac sincera officiorum praxi se exferat, Spiritus Sanctus, etiam hanc promovens ac dirigens, vocatur *Spiritus caritatis* 2 Tim. I, 7. Jam anima fidelis, secundum voluntatem bene operandi viribus ac *πνεύματι* recte instructa a Spiritu Sancto justum accipit robur spirituale, ab eoque is *πνεύματι τῆς δόξης*, *Spiritus roboris* dicitur ibidem. Cum vero omne robur, etiam in naturalibus, prudenter sit collocandum, secundum notum illud de ramo arboris inflectendo: *franges, si vires experiere tuas*: opus omnino est justo prudentis moderationis habitum. Qui cum non exiguum sit Dei charisma, ab eo ibidem

dem

dem Spiritus S. vocatur πνεῦμα σωφρονισμῶν, *Spiritus prudentis moderationis*. Hæc, aliis locis jam prætermis-
sis, pro ratione instituti nunc sufficiant.

Habetis jam, CIVES omnium ordinum flo-
rentissimi, quo vestra per has ferias meditatio pri-
vatim occupetur. Spiritus Sanctus, vitæ naturalis
ac spiritualis auctor ac dator, an in vobis exstiterit
Spiritus fidei, vestrum est, ut vosmet sincere explo-
retis. Cujus rei, tanquam κρισιμῆς, quodnam ha-
beamus criterium, præeunte Davide Paulus loco
allegato 2 Cor. IV, 13. indicat; scilicet ejusmodi
confessionem oris, quæ fidei cordis & praxi vitæ sit
conformis; confessionem, quæ non permittat, ut
unquam ex ore egrediatur ullus sermo turpis ac im-
purus, immo ne profanus quidem; utpote quo Spi-
ritus Sanctus contristatur. Eph. IV, 29. 30. 31. Vos
autem, qui a sancto Theologiæ studio nomen habe-
tis, hic speciatim accipitis *regulam homileticam*, ut
nunquam loquamini de rebus fidei sine Spiritu fidei,
vos, ut templa & officinas suas, inhabitante
& dirigente! Omnes vero ac singuli dies
hocce festos, imprimis horas illas, quibus nobis præ-
sentibus acroateria publica præconum voce reso-
nant, ita colloceamus, ut Spiritus Domini ipso effe-
ctu nobis sit *Spiritus fidei*, *Spiritus adoptionis*, *Spiri-
tus gratiæ ac precum*, *Spiritus cognitionis*, *sapientiæ*
ac *veritatis*; nec non *Spiritus caritatis*, *roboris ac*
prudentis moderationis. Qui aures habet, audiat,
quid Spiritus dicat ecclesiis, & in his nobis. Apoc.
II, 11, 17, 29. Halæ Saxonum P. P. in ipsis feriis Pen-
tecostes anno MDCCXXVII.

✠) * * (✠

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PROF
ACADEMIAE
**D. MI
ALB**


SER. ET POT. BORVSS.
ET CONSIST. DVCAT.
LOSOPHIAE NATVI
ORDINARIVS, FA

DIRECTORE,
ET PRO
RI

CIVIBVS
PIAM FESTI
CELE

ET IN EA LOCORV
SPIRITVS S.
EIVSQUE OFFICIVM
MEDITATION

HALAE M.
Typis IOANNIS GR



77

EVS

IO

ES

EM

cb.

